

Petrus de Vinea

Ep. II 6 (Scimus et experti sumus...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. II 6 (Scimus et experti sumus...)

luglio 1241

Petrus de Vineia cuidam amico suo significat continentiam exercitus imperatoris

1. Scimus et experti sumus, quod barbara terra uos teneat, quae nondum ardua, sed desperata negotia uobis inculcat. 2. Sed nobilium uirtus in aspera necessitate perficitur, et fortitudo naus in pelagi fluctibus approbatur. Vnum esse nos conuenit, nec emolliri deliciis, nec euentuum necessitate turbari. 3. Cito tamen omnia, quae in nobis sunt, finem habebunt, et cito summi pontifices, qui missilium iaculorum hactenus remota sagittatione pugnabant, ac uinctis luctabantur brachiis, inconglutinis pacis labiis unientur. 4. Dissoluto namque rete Reate, Tibur tenditur, ut Romae uicinius uideatur. Iam uerba pacis non sicut hactenus infestis auribus audiuntur: concordiae uiam, quam omnium hucusque uoluntas obscena precluserat, subuenientium hostium necessitas iam requirit. 5. In tractatu uero pacis nobis absentia nostra non oberit, quam uestrorum presentia plene supplebit.